



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus IV. De Sponsa Duorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

prætextu alienos parochianos matrimonio conjungere aut benedicere sine proprii parochi licentia ausus fuerit, ipso jure incurrit suspensionem duraturam, donec ab Ordinario Parochi, qui matri-

monio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur, ex decreto Tridentini cap. 1. cit. V. Quod si quis, cit. Gutierrez cap. 75, n. 16. Sanchez disp. 52, n. 2, & Palao §. 14. n. 15.



## TITVLVS IV.

### De Sponfa duorum.

**S**uperioribus captam Nuptialium Obftaculorum materiam Gregoriana Compilatio hâc Rubricâ prosequitur, proponitque duo Matrimoniorum Impedimenta. Unum Ligaminis dirimens; alterum Sponsalium, solummodo impediens matrimonium contrahendum.

#### ARTICVLVS I.

#### De Matrimonio inito cum duabus.

#### SUMMARIUM.

1. Matrimonium est conjunctio unius cum una;
2. Ut neque una mulier pluribus viris;
3. Nisi de potentia Dei absoluta,
4. Neque uni viro plures mulieres copulari queant.
5. Uxorum pluralitatem Naturali,
6. Et Positivò tantum jure illicitam esse, asserentium Opiniones.
7. Quæ conciliantur;
8. Ut illa Divina conjugij institutio.

9. Et hac supposita etiam Naturali juri adverteretur.
10. Et Paganis etiam illicita sit:
11. Illâque etiam Apostolica dispensatione,
12. Vel consuetudine licita fieri,
13. Et uni copulatus aliam ducere validdè non possit:
14. Licet conjugium solummodo sit Ratum:
15. Nisi istius vinculum à Papa relaxetur.

**C**atholica Veritas est, matrimonium esse conjunctionem unius maris cum foemina una, juxta illud, *Ad harebit uxori sua & erunt duo in carne una*, Genes. cap. 2. v. 24. quibus verbis apertè insinuat, matrimonium non nisi inter duos diversi sexus consistere posse; ac proinde illicitam esse Polygamiam; nam ut Tiberiadis Episcopo Innocentius III. rescripsit, *In carne una erunt, Dominus Deus, non dixit, tres vel plures, sed duo: nec dixit, adharebit uxoribus, sed uxori, & Gaudeamus 8. V. Verùm, de Divortijs.*

Est autem Polygamia duplex. Una, quâ una mulier duobus vel pluribus vi-

S 2

ris; al-

ris: altera, quâ uni viro duæ vel plures mulieres copulantur. Quarum

6. Priorem sive, ut quidam loquuntur, Polyviriam Divino & Naturali Juri repugnare, cum S. Augustino *Lib. 3. de Doctr. Christiana cap. 12. & Lib. de Bono Conjug. cap. 17.* & D. Thoma in *4. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 7.* concors omnium DD. sensus & ratio manifesta est; quòd, cum, duorum pluriùve virorum commixtione cum una muliere, prolis procreata, quòd incerta sit, etiam bona educatio impediatur, conjugii primario & à natura præcipue intento matrimonii fini adversetur: eamque ob causam nullâ dispensatione unquam fuerit permissa, nulliusque bene instituta & barbara quòque gentis usu recepta; ut adeò in

3. Dubium & quæstionem vocetur, an Divina dispensatione fieri queat; ut unâ mulier pluribus viris nubat; nam etiam hoc negat Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 11.* propter dictam Polyviriam cum primario conjugii sine repugnantiam: ratione cujus, sicut perjurium & mendacium, sic & illam ullo casu licitam fieri posse, inficiatur. Verius tamen, etiam hujusmodi nuptias ex Divina permissione subsistere posse, cum Majore *dist. cit. q. 1. ad 1.* in suis *Tractat. de Matrimonio* sustinent Petr. de Ledesma *q. 65. art. 2. dub. & concl. 2.* Sanchez *disp. 80. n. 15.* Cominck *disp. 26. dub. 2. n. 29.* Hurtad. *disp. 9. n. 9.* & Perez *disp. 35. s. 4. n. 3.* propter supremum & absolutum dominium Dei, sicut in cæteris res creatas omnes, sic etiam in maris ac foeminae corpora, quò uxori concedere potest; ut absque ulla mariti injuria corpus suum ad usum & actus conjugales tradat alii viro: utque iste ejus ad hujusmodi usum traditionem acceptet & vicissim suum corpus ad ejusmodi usum foeminae tradat: atque ex mutua hujusmodi traditione acceptatione-

que oriatur vinculum conjugale; cum id simpliciter non repugnet &, ne adversetur bono prolis, provideri à Deo possit.

Posteriorem etiam Polygamiam, 4. quâ unus vir plures ducat uxores, illicitam esse, omnino exploratum est ex definitionibus Conciliorum Oecumenicorum, Niceni *can. 24.* ut nemo duas pluresve habeat uxores, à Deo ordinatum, asserentis, & Tridentini, cujus de verita uxorum pluralitate Canon est, *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege Divina prohibetur, Anathema sit, Sess. 24. can. 2. de Sacram. Matrim.* si enim in nova lege, unâ uxore dimissa, alia duci non potest, æterna Veritate prohibente, *Matth. cap. 19. v. 9.* multò minùs, primâ retentâ, aliam ducere licebit, ut rectè arguit Innocentius III, *c. Gaudemus cit. V. Nec ulli unquam.*

Eam autem uxorum pluralitatem prohibendi rationes gravissimæ fuerunt; quia imprimis etiam ipsa primarium matrimonii finem aliquò modò impedit, inducendò orbitatem; cum, pluribus foeminis conjunctos sæpe minùs foecundos esse, doceamur exemplò Salomonis, qui ex mille cum uxoribus tum concubinis unicam prolem masculam, scilicet Roboam, cui Regnum reliquit *Lib. 3. Regum cap. 11. v. 43.* & duas filias Eraphet & Basemat suscepit, teste Suida apud Pontium *Lib. 7. de Matrim. cap. 49. num. 2.* Deinde non satis convenit cum fine ejusdem secundo; cum socialis vitæ pax & tranquillitas propter inæqualitatem affectus maritalis, & ex isto inter uxores nasci solitam zelotypiam, odia, rixas plurimum turbetur: uti & cum remedio Concupiscentiæ, *can. Nuptiarum 27. q. 1.* cum duabus exigentibus debitum simul reddi non possit. Demum eadem tollit significationem Sacramenti, quam ex Divina in-

vina institutione conjugia fidelium consummata habent, scilicet repræsentationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, tuius cum unica eaque immaculata sponsa, c. *Debitum* §. *de Bigamis*, juxta illud S. Gentium Doctoris, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia*, Ephel. cap. 3. v. 32. Unde

5. Dubium & controversia ingens nata inter DD. est de Jure, quò Polygamia hæc sive uxorum pluralitas est interdicta; eam enim ipso Naturali Jure inhibitam, asserunt Henriquez *Lib. 12. cap. 16. cit.* Ledesma q. 69. art. 1. concl. 2. Bellarm. cap. 11. Hurttad. n. 3. & Menoch. *de Arbitr. jud. casu* 420. à n. 49. Negant contra Abulens. in *Matth. cap. 19. q. 30. ad 2.* Durand. *cit. dist. 33. q. 1. n. 9.* Cajetanus in *Genes. cap. 16. post pr. Palatios dist. cit. disp. 1.* & Veracrux *Speculi p. 2. art. 15. concl. 1. & 2.*

Illi, eam Juri Naturali repugnare, desumunt partim ex *Epist. 2. ad Corinth. cap. 7. cujus v. 4.* Apollolus *Mulier, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: quibus verbis vir & mulier, quoad mutuam corporum traditionem equiparatur; ut adeò, sicut conjugii naturæ repugnat, à muliere viro facta traditio aliter quàm in solidum, sive ita; ut, viro superstite, id tradere mulier etiam alteri valeat: sic eidem repugnet, à viro sui corporis traditio facta aliter quàm in solidum sive ita; ut, muliere vivente, id tradere etiam alteri queat: partim ex legibus Gentilium prudentiæ & honestatis laude præ aliis florentium & solius luminis & rationis naturalis ductu reprobantium nuptiarum pluralitatē; nam & apud Athenienses Cecropis lege sancitum erat; ut una esset unius uxor, teste Athenæo *Dypno-*

*soph. Lib. 13.* & aptid Romanos neque XII. Tabularum neque posterioribus legibus plures simul habere unquam licuit uxores adeò; ut Cæsar scripta lex id permittens fuerit rejecta apud Suetonium illius *Vite cap. 52.* Quinimò, qui binas nuptias eodem tempore constitutas haberet, ex Prætoris Edicto infamiâ notabatur *l. 1. in fine ff. de His, qui not. infam. & l. Neminem 2. C. de Incest. & inutil. nupt.* & stupri atque adulterii crimine tenebatur, *l. Eum qui 18. ff. C. ad L. Jul. de Adult. & publicationis partis bonorum ac relegationis vel fustigationis aliisve pœnis coerceretur, Salycet. in l. cit. Theophil. in §. ff. Affinitatis 6. Instit. de Nupt. Ant. Matth. de Crimin. ad Lib. 43. ff. Tit. 3. & Menoch. casu cit. à n. 96.*

Rationem, ultra ante n. 4. deductas reddunt; quòd Naturalis Juris principia exigant; ut ex contractu nuptiali vir uxori præter id, quod ab ista illius contractus vi ipse exigit. Cùm ergo ex contractu nuptiali vir ab uxore exigit; ut corpus suum ad actus ex se aptos ad prolis generationem ulli alteri non tradat, ex illo hoc à viro uxor quoque Jure exposcit; quia uxor & maritus quoad hujusmodi actus & thori conjugalis fidem ad imparia non judicantur, *can. Si quis uxorem 4. in fine, 32. q. 1.*

Isti quoque, uxorum pluralitatem Naturali Juri non adversari, argumentis haud sanè levibus ostendunt. 6.

Primò quidem exemplis plurimum Gentium, illam non solum tolerantium, sed legali permissione non obscure approbantium, & relatarum ab Alexandro *Genial. dier. Lib. 1. cap. 24.* Tiraquello *Connub. l. 7. n. 16.* & Menochio *casu cit. à n. 72.* uti & veterum Patriarcharum Abraham, Jacob, Moysis & Helcanæ: Davidis, Salomonis, Roboami aliorumque

rúmque Regum, quos pluribus uxori-  
bus simul retentis fuisse copulatos, ex  
veteris Testamenti tabulis & Josepho *An-  
tiquit. Judaic. Lib. 17. cap. 1.* constat &  
omnes Juris Naturalis cognitione fuisse  
destitutos, aut in ejus principia impegi-  
se, ab omni veritate istiusque similitu-  
dine est alienum.

Secundò, autoritate SS. Ecclesie  
Patrum ac Doctorum Augustini & Hie-  
ronymi: quorum ille Jacob, qui quatuor  
habuit uxores, & alios Patriarchas à cul-  
pa excusat, propter prisci illius tempo-  
ris Morem; quia, *Quando mos erat,  
crimen non erat*, verba sunt ex illo re-  
lata *can. Obiiciuntur 32. q. 4.* ille verò,  
Polygamiam antiquitus lege interdictam  
non fuisse, minimè obscure sensit *Epist.  
ad Oceanum*, eique hac in re consensit  
S. Augustinus *Lib. 16. de Civitate cap.  
38. & Doctrina Christiana Lib. 3. cap. 12.*

Tertiò ratione; quia uxorum plu-  
ralitas minùs, quàm primò intuitu vide-  
tur, adversatur conjugii fini, eùm; quia  
prolis generatio, quæ finis illius prima-  
rii pars præcipua est, illà non tam exclu-  
ditur, quàm promovetur; quòd ab uno  
viro facundari queant uxores plures, &  
istarum unius sterilitas alterius fecundi-  
tate suppleatur; atque idcirco plures u-  
xores prisci illis Patriarchis ad humani  
generis & gentis suæ electæ faciliorem  
propagationem multiplicationemque à  
Deo permissæ credantur: Ipsa etiam  
susceptæ prolis educatio, quæ ejusdem  
finis pars altera est, difficultate careat,  
si ex pluribus susceptarum prolium apud  
suam quæque matrem, ab aliis ejusdem  
thori consortibus separatam, educetur:  
partim verò; quia eadem non excludit  
cohabitationis tranquillitatem, quæ fi-  
nis matrimonii secundarius est; quia ea  
& singularum uxorum in maritum reve-  
rentia facillè conservatur, & inter ipsas e-

tiam uxores excitari solitæ discordiæ evi-  
tantur, si ea quoad habitationem sepa-  
rentur: & incommoda, quæ sic etiam  
propter sequioris sexûs imbecillitatē im-  
probitatēque non excluduntur, toleran-  
da sint; ut, si uterque matrimonii finis ex  
accidenti plenè non obtineri queat, se-  
cundarius primario subordinetur ac cedat.

Inter has extremè oppositas media  
via tenenda, statuendumque est, uxorum  
pluralitatem Naturali quidem Juri adver-  
sari & irritā esse: non tamen; ut eam ex-  
cludat ipsa matrimonii natura & essentia,  
sed ex ipsius institutione, in ipso mundi ex-  
ordio, & voluptatis adhuc innocentis Para-  
diso facta à Domino Deo, unam tantum  
uni conjungente, ut cum DD. aliis à *cit.  
Sanchez n. 18. in sine relatis tenent Pon-  
tius cit. cap. 49. n. 4. Laiman. Lib. 5.  
Tract. 10. p. 3. cap. 6. n. 7. Palao Tract.  
28. disp. 3. p. 1. à n. 3. & præsertim Pe-  
rez cit. disp. 35. s. 2. à n. 4. & 6.* Cu-  
jus Assertionis prima pars, sive; quòd u-  
xorum pluralitatem matrimonium natu-  
rā & essentiā suā non excludat, satis su-  
pèrque ex paulò antè n. 6. dictis constat.

Alterà; quòd eam excludat institu-  
tio Conjugii Divina, indubitatè defumit-  
tur ex illo Domini Dei, *Quamobrem re-  
linquet homo patrem suum & matrem su-  
am & ad hæbit uxori suæ: & erunt duo  
in carne una*, Genes. cap. 2. v. 24. Qui-  
bus verbis nuptiale fœdus sic institutum  
est; ut ab eo, sicut maritorum, sic  
& uxorum pluralitas excludatur, ut o-  
mnino liquet Imprimis testimoniò Chri-  
sti Domini unitatem matrimonii in ejus  
primam institutionem refundentis, dum  
ait. *Qui fecit hominem ab initio, ma-  
sculum & feminam fecit eos, & dixit,  
propter hoc &c. & erunt duo in carne una*  
Matth. cap. 19. v. 5. Deinde ex Con-  
ciliorum Niceni *can. 24. cit.* pluralitatis  
uxorum prohibitioni subjucentis, *Sicut  
Deus or-*

*Deus ordinavit* : & Tridentini eandem prohibitionem in legem Divinam reſpondentis *can. 2. cit.* Et demum ex reſcriptis Nicolai I. *ad Conſulta Bulgarorum cap. 5.* & Innocentii III. *c. Gaudemus V. Verum cit.* eandem referentium *in ipſam originem conditionis humanae* & nuptiarum in Paradifo inſtitutarum *initium*. Confirmatur ; quia , ſi uxorum pluralitatem ipſa matrimonii natura & eſſentia excluderet , ullâ diſpenſatione Divinâ licita fieri non poſſet , per tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 154.* ad eam autem diſpenſari à Deo poſſe , apertè ſupponit laudatus Innocentius *c. cit.* ibi , *Nec ulli unquam licuit in ſimul plures uxores habere : niſi cui ſuit Divina revelatione* , ſive Dei revelantis diſpenſatione *conceſſum* &c. *Per quam Patriarcha & alii viri juſti* , qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores , ab adulterio excuſantur . Imò *cit.* Sanchez *n. 13.* & Pontius *n. 4.* cum Bellarmino *cit. cap. 11. propoſ. 5.* Pineda *Lib. 7. de Reb. Salomon. cap. 5. n. 5.* & aliis verifiſimiliter exiſtunt , eam diſpenſationem non ſolum cum Hebræis , ſed cum aliis quoque gentibus factam à Deo , corporum ſœmineorum uſum ad humani generis propagationem priſco illo tempore viris multò majorem , quàm nunc habent , indulgente , iſque permittente Repudiū libellum : qui tamen poſtea aboliſus , ipſaque uxorum pluralitate , ob ceſſantem ejus conceſſæ cauſam , ſublata , conjugale ſœdus ad primæ inſtitutionis ſtatum & Monogamiam univerſè revocatum fuit , ut ex *cap. 5. & V. Neo ulli cit.* deſumunt Becanus *Analogia cap. 16. q. 10. & cap. 21. concl. 3. cit.* Pontius *n. 6.* & Gonzalez *in c. 1. hæc Rubr. n. 4.*

9. Tertiæ partis ſive ; quòd , ſuppoſita matrimonii inſtitutione & Divinâ diſpenſatione ſecluſâ , uxorum pluralitas Naturali Juri adverſetur , ratio eſt ; quòd ,

cùm corporis ſui homo uſuarius duntaxat : Deus autem ejus dominus ſit , illò uti homo non poſſit , præterquam ad actus à Deo ipſi conceſſos . Cùm ergo Dominus Deus ipſa nuptiarum inſtitutione viro corporis ſui uſum per traditionem ad actus conjugales ſolummodo conceſſerit reſpectu mulieris unius , vir , corpus ſuum ad ejusmodi actus tradendò pluribus mulieribus , Domini Dei jus lædit , & peccat contra Jus Naturale , alieni & præfertim Divini juris læſionem vetans , ſicut vetat *vg. furtum* . Ex hæcenus dictis

Inferitur primò , conjugali ſœdere **10.** ad Divinæ inſtitutionis primævum ſtatum revocatò Repudiūque libellò antiquatò non fideles tantùm , ſed infideles quoque plures uxores ſimul vel primâ dimiſſâ aliam ducendo contra Divinum & Naturale jus graviter delinquere , & primæ retentæ vel repudiatæ ſuperinductam alteram dimittere teneri , ut ex *c. Quando 7. & c. Gaudemus cit. de Divortiiis cum cit.* Henríquez *cap. 6. n. 2.* Ledefma *q. 67. art. 2.* contrarium ſine erroris ac temeritatis nota ſuſtineri non poſſe , aſſerentibus , & aliis tradit *cit.* Sanchez *n. 4.*

Inferitur ſecundò , ulla humana , e. **11.** tiam Apoſtolica , autoritate diſpenſari non poſſe ad uxorum pluralitatem , ut cum S. Thoma *cit. diſt. 33. q. 1. art. 2.* Soto *q. cit. art. 2.* Covarruv. *p. 2. de Sponſal. cap. 7. §. 3. n. 1.* Bellarmino *cit. cap. 11. cit.* Sanchez *n. 9.* cæterorum DD. concors ſententia eſt , & perſpicuè habetur *c. Gaudemus V. Nec ulli cit.* Ratio obvia eſt ; quia nullâ humanâ poteſtate relaxari poteſt Jus Naturale vel Divinum per tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 154.*

Inferitur tertid . eandem uxorum **12.** pluralitatem nullâ quanticumque , etiam immemoralis , temporis conſuetudine licitam fieri poſſe , ut cum Soto , Covarruv.

varruv. l. cit. & aliis DD. rectè docet cit. Sanchez n. 10. Ratio est; quia nulla Consuetudo prævalere & derogare potest Juri Divino aut Naturali, c. fin. de Consuet. cum consuetudo sit jus merè humanum non-scriptum, usu & moribus populi, Legali & Canonica approbatione accedente, introductum, §. Constat 6. Instit. de I. N. G. & C. ulla autem humana potestas prævalere nequeat Divinæ, can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cum inferior 16. de Majori & Obed.

Neque hanc illationem convellit; quòd uxorum pluralitatem, *Quando mos erat, crimen non fuisse*, assertio sit S. Augustini, relati can. *Obiiciuntur* 32. q. 4. quia exaudiendus est de More, seu consuetudine, fundata in revelatione seu dispensatione Divina, ab eaque, non à solo virorum plures uxores ducentium usu vim obtinente, ut cum memorato Innocentio Papa c. *Gaudemus V. Nec ulli cit.* notant cit. Sanchez n. 16. & Pontius n. 4.

13. Infertur quartò, in Novo Testamento Polygamiam utramque non solum illicitam, sed insuper matrimonium, quod post nuptias initas cum una unòve cum alia aliòve contrahitur, irritum nullumque esse, per expressos textus c. 1. c. *Accepisti* 2. c. *Tua* 4. hanc Rubr. etiam si cum priore solummodo Ratum: cum posteriore verò per carnalem copulam fuisset consummatum, c. *Si inter* 31. de Sponsal. & matrim. c. *Licet* 3. & c. fin. hanc Rubr. Ratio est; quia per prius matrimonium vir & mulier jus in corpus suum ad potentiam copulæ jam transtulerunt in eum, quocum prius contraxerunt: quâ translatione factâ, cum jus in corpus suum ad ejusmodi potentiam jam non uxor, sed vir: & in suâ jam non vir, sed uxor habeat, 1. Corinth. cap. 7. v. 4. jus ejusmodi potentiam respiciens

in alium transferre neuter amplius potest, ut ex c. *Quod autem* 5. in fine, de Jure Patronat. rectè arguunt Petr. Barbosa in Rubric. ff. *Solutio Matrim.* p. 2. n. 85. & Fagnanus in c. *Si inter cit.* n. 7.

Neque huic illationi obstat primò l. *Si à Titio* 72. ff. & l. *Quoties C. de R. V.* ex quarum dispositione, re duobus venditâ is, cui ea tradita est, præfertur; quia in matrimonio juris in corpus ad potentiam copulæ traditio fit ipso contractu per verba de presenti c. 1. cit. cui consummatio solum corporis traditi usum superaddit, ut cum Victoria in *Relect. de Matrim.* n. 5. & aliis notant cit. Barbosa n. 78. & 85. & Gonzalez in c. *Licet cit.* n. 3. in fine.

Neque eidem adversantur verba, *Quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum*, quæ sunt Alexandri III. Archiepiscopo Salernitano consulenti rescribentis c. *Licet cit.* quia ab illis aliter judicatum est non per Canonem, sive Constitutionis alicujus universalis promulgationem; cum in antiquis Collectionibus ejusmodi Canonis nulla mentio uspiam fiat cit. Gonzalez n. 2. Sed solummodo in litibus inter partes in supremo Ecclesiæ tribunali agitatis: quas illi, suam & aliorum DD. privatorum, eò tempore receptam Opinionem sequendò aliter, quàm postea Alexander c. cit. statuit, deciderunt, ut cum Covarruvia cit. §. 3. n. 5. Gutierrez 2. Canon. Lib. 1. cap. 17. n. 22. & c. Augustin. Barbosa in c. cit. n. 5. desumit ex verbo *Judicatum*, privatæ litis Judicalem decisionem: non Cathedrallem definitionem vel Legis institutionem, promulgationemve significantem. Fortassis etiam Alexandri Papæ Prædecessores aliter judicârunt, matrimonium Ratum propter subsequens Consummatum ex gravi causa dissolvendò, ut notat Wagnerneck

gnereck in Exegeſi c. cit. Hæc de Impedimento dirimente Ligaminis ſeu vinculi matrimonialis.

## ARTICULUS II.

## De Sponſalibus initis cum duabus.

## SUMMARIUM.

16. Sponſalia, cum una inita, cum alia nuptias illicitas :
  17. Et ſponſalia cum ea ſerè irrita reddunt :
  18. Licet his accedat juramentum.
  19. Hæc tamen, prioribus ſolutis, obligant, ſi conditionata :
  20. Non etiam, ſi absoluta ſint :
  21. Niſi poſterioribus acceſſerit copula carnalis :
  22. Hæc tamen etiam priora ſponſalia non tollit :
  23. Niſi aliquando ratione gravis,
  24. Et ſola nuptiis reparabilis damni.
  25. Priora ſponſalia relaxari à Papa :
  26. Non etiam ab Epifcopo valent.
16. Sponſalia cum una inita de futuro, ſive mutua promiſſio matrimonii futuri ex eaque orta obligatio, id cum ſponſo ſponſave contrahendi, licet ſupervenientibus cum alia ſponſalibus de præſenti, ſive actu initò cum ea contractu matrimoniali ſolvantur, c. 1. non tamen, quando absolute inita ſunt, ſolvuntur ſupervenientibus ſponſalibus initis de futuro, ſive de matrimonio cum alia contrahendo : imò poſteriora hæc, quatenus prius initis præjudicant, ipſò Jure irrita eſſe, non obſcurè deſumitur ex c. Unico de Sponſal. & matr. in 6. ex cujus deciſione in prius initorum præju-

dicium contracta ſponſalia non produ-  
cunt Juſtitæ publicæ Honeltatis impe-  
dimentum : quod cum certa & determi-  
nata perſona absolute & validè initorum  
ſponſalium effectus eſt, c. Juvenis 3. c.  
Ad audientiam 4. & c. Sponſam 8. Ru-  
bric. cit. Ubi

Dubium oritur, an priora ſponſa-  
lia de futuro absolute inita etiam non ſol-  
vantur per poſteriora, firmata juramentò.  
Iſtius enim Religionis poſteriora priori-  
bus prævalere, & præferenda voluerunt  
Innocentius in c. Veniens 6. de Jureju-  
rando n. 1. Imola ibid. n. 4. & Ant. de  
Butrio in c. Sicut 22. de Sponſal. & matr.  
in fine. Sed veriùs alii extra caſum, quò  
à prioribus reſiliendi juſta cauſa, vg. al-  
terius fornicatio præceſſit, ſicut ipſa  
ſponſalia poſteriora, ſic etiam his adje-  
ctum juramentum pro irritò habent ;  
quòd adjectum ſit in præjudicium tertii :  
& propterea tanquam vinculum iniqui-  
tatis obligatorium nequeat eſſe, per text.  
can. Inter cetera, 22. q. 4. & c. Quanto cit.  
& argumentò à contrario ductò ex ver-  
bis, Cum in alterius præjudicium non re-  
dundet, c. Cum contingat 28. de Jureju-  
rando & c. Quamvis 2. de Pactis in 8.  
Ita in c. Sicut cit. ſibi contrarius Inno-  
cent. n. 1. Joan. Andr. n. 4. Panormit.  
n. 8. Alex. de Nevo n. 12. & cum ipſis  
Sylveſter 7. Sponſalia, q. 10. d. 3. Carerius  
de Sponſal. Lib. 1. cap. 11. Covarruv. de  
Sponſal. p. 1. cap. 4. initiò n. 3. Guttie-  
rez de Juramento p. 1. cap. 51. n. 6. &  
Sanchez Lib. 1. diſp. 50. n. 2.

Dubium ſecundò eſt, an poſteriora  
ſponſalia etiæ non obligent caſu, quò  
alterius conjugum morte, ingreſſu Re-  
ligionis, renuntiatione &c. priora diſ-  
ſolvuntur. Illa enim hòc caſu obligare,  
negant cit. Sanchez Lib. 1. diſp. 50. n. 6.  
& Pontius Lib. 12. de Matrim. cap. 14.  
n. 2. affirmant autem Covarr. p. 1. de  
Sponſal.



- Sponsal. cap. 4. §. 1. n. 10. & Rebellus Lib. 4. de Oblig. Justit. q. 8. n. 55. Quorum pugnantibus Opiniones auxiliò distinctionis in concordiam non malè reducit Perez disp. 9. de Matrim. f. 8. n. 6. ex cujus mente posteriora, quando non absolute, sed sub priorum dissolvendo- rum conditione inita, & in tempus habile collata sunt, sicut ab initio sub conditione, sic ista per priorum dissolutionem impletà, absolute obligabunt. Si verò inita absolute, & collata sint in tempus, quò promittens prioribus obligatur, ea per se non obligabunt, etiam post priorum dissolutionem. Ratio est; quia, durante priorum valore & obligatione, promissio matrimonii alteri facta ab initio invalida fuit, tanquam facta de re Jure impossibili, arg. can. Faciat § 1. junctà Glosà V. Eòdem, 22. q. 2. & invalida manet, arg. Reg. Quod ab initio 29. ff. & Reg. Non firmatur 18. in 6. ac proinde non obligat etiam postea fere, sicut professio Religiosa, à conjugum uno, post matrimonium jam consummatum edita, altero incidiò aut invito: vi cujus illum ad Religiosum statum etiam pro tempore, quò matrimonium per alterius obitum dissolutum est, non obligari, liquet ex c. Quidam 3. & c. Placet 12. de Convers. conjug. & notat Panormit. in c. cit. n. 4.*
21. Dixi, *Per se & Vi promissionis*; per accidens enim v.g. casu, quò sponsalium antè initorum ignaram virginem deflorasset, aut viduam honestam sub spe matrimonii corrupisset, eam prioribus dissolutis ducere teneretur saltem ratione damni, quod alia ratione compensari non posset: & ratione similis jacturæ famæ, quam ejusmodi femina est passura, Sanchez cit. n. 6. in fine.
22. Dubium tertio, & Curiarum Ecclesiasticarum Præsidibus aliquando satis

molesta controversia est, an posteriora sponsalia etiam invalida; & propterea priora adimplenda sint, quando illis accessit copula carnalis futuri matrimonii promissione & secuturi spe extorta. Non quidem casu, quò ista etiam prius initis sponsalibus accessit; cum enim hoc casu utriusque damnum sit æquale, prioris sponsæ jus utique potius erit, arg. Reg. Qui prior 54. in 6. Neque etiam casu, quò posteriora sponsalia inita sunt cum personâ conscia priorum; cum, quæ istorum notitiam habuit, decepta dici nequeat, arg. l. 1. §. 6. ff. de Edilit. Edilit.

Sed, quò prioribus carnale commercium non accessit, & posteriora à persona illorum ignara sunt contracta; hoc enim casu priora sponsalia utrinque solvi, & posteriora adimplenda, cum Majore in 4. dist. 27. q. 5. asserunt Pontius Lib. 12. cap. 14. n. 4. & Palao Trañ. 28. disp. 1. p. 22. n. 6. Moventur duplici ratione. Una est; quòd per copulam fiat anticipata quædam traditio corporis: quæ, cum ante Concilium Tridentinum habuerit vim inducendi matrimonium, c. Veniens 15. & c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & Matr. hodie saltem inducet sponsalia cum posteriore, & cum alia persona prius inita sponsalia dissolvat, arg. l. Quoties 15. C. de R. V. ex cujus dispositione in re uni venditã, alteri verò, licet cum primi emptoris injuria insuper traditã, potius est jus posterioris. Altera; quòd, cum duo, unus de lucro captando, alter de damno vitando certant, huic potius favendum sit, quàm illi; ac proinde in proposito casu potius defloratæ, de vitando damno: quàm alteri, de lucro captando certanti.

Alii & meliori ratione propositam dubitationem resolvunt auxiliò distinctionis; vel enim, inquit, deceptæ damnum non est grave, aut saltem aliò modo, quàm

24. Nō, quān fecutis nuptiis, compensari potest, vel non?

Si posterius, & decepta illatum grave damnum aliter, quān nuptiis compensari nequeat, eam, quacum priora sponsalia inita sunt, jure suo cedere teneri, asserunt ex Charitate, ad subeundum leve damnum quemlibet obligante, si ita grave damnum proximi valeat impediri. Quod si ista nōlet, nihilominus deceptorem ad ducendam posterio- rem, saltem ex Æquitate, condemnari posse, volunt Henriquez *Lib. 11. cap. 13. n. 3.* & *cit. Sanchez disp. 49. n. 6.*

Si prius, & decepta damnum grave non est, aut aliā ratione v.g. constitutā vel auctā dote potest compensari, recessum à prioribus sponsalibus, invitā sponsā. permittitur, cum Soto *in 4. disp. 27. q. 2. art. 4.* negant Gutierrez *de Matrim. cap. 27. n. 7.* & Sanchez *l. cit. n. 5.* Ratio est; quia sponsalia illa firmitatem ex parte sponsi; ab eoque illorum impletionem & nuptialem contractum petendi jus conservant priori sponsæ, in cuius injuriam posterio- ra sponsalia, hisque decepta defloratio est attentata; cum, licet ipsa sponsalibus non amplius adstringatur; quod notabilis mutatio inter- venerit ex parte sponsi, *c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando*, & iste, fidem alteri dandō eamque corrupendō, prius initis sponsalibus ipsō factō renun- tiarit: ex parte tamen sponsi priora & cum ipsa inita sponsalia soluta non sunt; cum soluta non sint ratione promissionis; hæc enim, cum nulla sit, jus matrimo- nii à priore in posteriorem transferre non potuit, *arg. l. Non dubium 5. pr. V. Sed & si C. de LL. & c. Illud 8. de Jure Pa- tronat.* Neque etiam ratione damni; quia hoc, ut ponimus, refarciri alia ra- tione potest, sicut quando copulam pro- missio non præcessit.

Neque contrarium evincunt allatæ rationes. Prior partim; quia copula sponsalibus præsertim invalidis superve- niens post Tridentinum, cum merè for- nicaria sit, Juris effectum, cum alia prius inita sponsalia respicientem, non habet; partim verò; quia post Concilium illud mutua corporum traditio ad potentiam & jus copulæ, non per copulam sponsa- lia subsecutam, sed per ipsum contra- ctum matrimonialem fit, Petr. Barbosa *in Rubric ff. Solutio matrim. p. 2. à n. 84.* & Gonzalez *in c. Licet 3. hæc Rubricà n. 3. in fine.* Posterior; quia prærogati- va certantis de damno vitando vim non habet, jure suo alterum privandi, cum danum aliter compensari potest.

Dubium quartò est, an, ut ex duo- 25. bus sponsalibus posterio- ra validentur, priora dissolvi queant Ecclesiasticā aucto- ritate. Non quidem; si ex parte sponsi sponsæ prioris post illa legitime inita superveniat vel appareat iusta resiliendi causa; cujusmodi variæ, recessum à spon- salibus propriā aut saltem Ordinarii su- perioris Ecclesiastici publicā aucto- ritate, licitum reddentes, *Tit. 1. art. 5.* toto enumeratæ sunt. Sed hujusmo- di causa deficiente, & ideò solùm; quod is, qui utraque iniiit, à sponsa sponsæ priore valde abhorre- re eumve odisse ce- perit, aut affectu multò prioniore ferri in posteriorem, cum eavē nuptiæ statui magis convenire, aut privatim publicè- que utiliores fore judicentur. Ex cujus- modi aliqua, præsertim spirituale animæ vel publicum bonum spectante causa, sponsalia dirimi Apostolica auctoritate posse, nemo facile ambigit; cum enim ex gravi & præsertim publica causa eā relaxari valeat vinculum matrimo- nii rati, ut *Tit. 19. art. 3.* statuatur & hoc antecedentia sponsalia dirimat, juxta di- cta *Tit. 1. n. 98.* dissolvi etiam multo- que ma-

que magis poterunt sponsalia, inita de futuro, secundum Brocardicum illud, *Si duo vincunt te, multo magis vincunt te*, l. in accessionibus 14. §. 3. ff. de Divers. temp. prescript. & Regulam, *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus*, quæ est 13. in 6.

Eadem Episcopali quoque aliæ Ordinaria autoritate solvi posse, suadet ratio; quod, eum Episcop<sup>9</sup> pastor Ordinarius sit suæ diocesis, sicut respectu omnium totius Christiani orbis fidelium est Papa, cum subditis suis diocesanis dispensare valeat in omnibus casibus, in quibus respectu omnium Christi fidelium Papa dispensat: nisi casus isti specialiter sint reservati, ut à pluribus Regulæ instar tradi solet cum Abulensi in Matth. cap. 6. q. 86. Victoria Relect. de Matr. p. 1. n. 7. & Soto Lib. 10. de Justitia, q. 1. art. 3. ad 2.

26. Verius tamen, sponsalitiæ obligationem per viam dispensationis relaxandi potestatem Episcopo competere, cum Paludano in 4. diff. 27. q. 1. art. 2. n. 14. Cajetano in Summa V. Matrimonium, cap. 1. §. Et scito Henriquez Lib. 12. cap. 2. n. 2. & aliis negat cit. Sanchez Lib. 7. disp. 17. n. 13. in eam rem allegans 6. Ex literis 10. de Spons. & matrim. Ubi Alexander III. Episcopo Pictaviensi mandat;

ut sponsum ad fidem sponsæ datam per nuptias adimplendam compellat, non obscuro indicio, sponsalia relaxari ab Episcopo non posse. Ratio est; quia dissolutione sponsalium, & ex istis ortæ obligationis remissione, in sponforum unius gratiam factâ, alteri ex illis justè acquisitum jus auferretur: jus autem alteri quocunque justò titulo acquisitum auferre summo Principe inferior nemo, & ipse etiam Princeps sine gravi ferèque publica causâ non potest: & tali etiam causâ poscente, non facillè solet sine ejus, quod interest, & damni ea ablatione illati compensatione, per tradita à Panormit. in c. Que in Ecclesiis 7. de Constitut. n. 11. Felino ibid. n. 26. & 29. Jafone in l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. à n. 24. Laiman. in c. cit. n. 12. & Pirrhing in Rubric. cit. n. 10.

Neque hac in re patrocinium efficacis Episcopis præstat Regulare dogma pro ipsis allegatum; quia eò jactatam Episcopalis & Apostolica potestatis æquiparationem omni Juris adminiculò destitutâ; & si non variis limitationibus adhibitis temperetur, omnino vanam esse, rectè observat Suarez Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 6. & latè ostendit Eagnanus in c. Perniciosam 1. de Offic. Ordin. n. 29. & à n. 55. ut ad eandem Rubric. dictum est à n. 81.



## TITULUS V.

### De Conditionibus appositis in Dispensatione, vel in aliis Contractibus.



Sicut Contractibus aliis, sic etiam Dispensationibus, saltem de futuro, apponi non rarò so-

lent Conditiones: quarum uti & Modi, sub quo illæ aliquando ineuntur, varietas ac vis declaranda hæc Rubricâ proponitur.

ARTI-